



1741,7 b. 8
7-8

DISSSERTATIONE QVINTA

IMPVITATIONEM CVLPAE
CIRCA
CONTRACTVS EMPHYTEVSEOS,
SOCIETATIS ET MANDATI

DEO FAVENTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONE MISNIAE COMITE PRINCIPALIS DIGNITATIS HENNEBERGICO COMITE MARCAE RAVENSBERGAE SAYNAE
ITEM AC WITTGENSTEINII DYNASTAE
RAVENSTEINII RELIQUA
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO

EX CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
P R A E S I D E
DN. IO. IVST. SCHIERSCHMIDIO
IVR. VTR. ET PHILOS. DOCT.
PROF. PHIL. PVBL. ET REGIMINIS SAXO-ISENACENSIS ADVOCATO
PRAECEPTORE AC PATRONO SVO PIE COLEND^O,
PLACIDO ERVITORVM EXAMINI SVBIICIT
RESPONDENS ET AVTOR
GOTTL. FRIDER. AMAND. TRAVTMANNVS,
IENENSIS L. L. ET PHILOSOPH. CVLT.

AD DIEM FEBRVARII M DCC XL.

LENAE, LITTERIS IO. CHRISTOPH. CROEKERI.

DISTRIBUTIONE QVINTA
IMPATATIONEM CAVITATE
COLLEGATIONE ET ELEVAZIONE
SOCIETATIS ET MAMBRATI

RECTORI MAGISTRI CENSISSIMO
SOCIETATIS ET MAMBRATI AC DOMINO
DOMINI O MINDO
GALLERIO HERICO
DOMINUS HISTORIÆ ET LIBRARIAMI
HISTORIÆ COMMUNICARE VULNERA
MAMBRATI COMITIUS VULNERA
HERICO HISTORIÆ LIBRARIA
DOMINUS HISTORIÆ LIBRARIAMI

HISTORIÆ LIBRARIAMI
DUO IO. IUST. SCHERZHEIMIO
TIBI TIBI LIBRARIAMI
LIBRARIAMI LIBRARIAMI
SCHERZHEIMIO LIBRARIAMI
GOTTER RHEINER WAND TRAVANTINAE
INTERCENSUS ET SILENTIOPOLI CARIS

Nr. 18-72, 443



PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

IOANNI HARTMVTHIO

GAERTNER

DE GRVNNECK ETC.

SERENISSIMI DVCIS SAXO - ISENA-
CENSIS MINISTRO STATVS PRIMARIO,
CONSILIARIO INTIMO,

REGIMINIS NON MINVS ISENACENSIS
AC COLLEGII CAMERALIS ATQVE SVPREMI
SENATVS ECCLESIASTICI IBIDEM PRAE-
SIDI LONGE- MERITISSIMO,
RELIQVA

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.



MAECENATI OMNIVM
OPTIMO
SALVTIS SVAE STATORI AC
PROMOTORI BENIGNISSIMO
IN PERPETVAM
GRATI PARITER ANIMI
AC
OBSERVANTISSIMAE CLIENTELAE
TESSERAM
CVM
SVMMAE AC OMNIGENAE PROSPERITATIS
VOTO
HOCCE
QVID QVID EST SPECIMINIS ACADEMICI
HV MILLIMO OBSEQVII CVLTV
D. D. D.
AVTOR ET RESPONDENS.





S. I.

CONTRACTVM EMPHYTEUTICARIVM
ad contractus consensuales Dnus Praefes
§. 18. Lib. III. Tit. 2. Elem. Iur. ciuil.
retulit, et ibidem secundum mentem
Ictorum definiuit, quod sit contractus consensualis de do-
minio rei immobilis, sub lege meliorationis annuae-
que pensionis, in recognitionem dominii directi, in alte-
rum transferendo L. I. et seq. C. de iur. emphyt. Cum
itaque contractus ordinarie gratuiti non sint §. 8. Diff. II.:
concludere licet, quod ab initio huius contractus pro
translatione dominii pretium quoddam licet exiguum do-
mino directo conferatur, indeque *contractus emphyteutica-
rius ab initio emtione venditioni similis fiat*, conf. §. 19. L. III.
tit. 2. dict. Element. Ast cum *dominus utilis postea meliora-
tionem et annuam pensionem, in recognitionem dominii
sui domino directo praestandam, promiserit; inde inter
istum contractum et locationem conductionem rerum quaedam
similitudo intercedere videtur* §. 1. Diff. IV, quam vberiori ca-
lamo exponere animus est, ut deinde ope principii redu-
ctionis ea, quae in locatione conductione ex principiis
communibus Dissertatione quarta determinata sunt, ad
hunc emphyteuticarum contractum transferre possim.

A

g. II.

2 DE IMPVTATIONE CVLPAE

§. II.

PENSIONEM in genere definire possumus per quantitatem quandam utilitatis alteri propter benefactum conferendam. Cum itaque rei externae, cui pretium vel vulgare, vel vniuersale inhaeret, quaedam utilitatis quantitas vel saltim opinione hominum inhaerent *s. 80. 86. Lib. III. Tit. 1. Element. Dai Praefidis;* appetat, pensionem esse genus et in re externa, cui vel pretium vulgare vel vniuersale inhaeret, confistere posse: Attamen usus loquendi communis et civilis Romanus magis pro una specie, qua *pensio pro pecunia sumitur, militat L. 55. ff. de conduct. ind. L. 39. §. 1. ff. de Leg. L. 27. §. 2. ff. de hered. pet.* Quamquam non negaueris, quod termino pensionis quoque pro altera specie in vita communī utatur.

§. III.

In contractu emphyteuticario emphyteuta quotannis pensionem in recognitionem dominii utilis in dominum directum transferre debet (*s. 1.*). Dominium utile inuoluit partem proprietatis cum iure utendi fruendique re (*s. 23. Sect. II. Elem. Iur. civ.*). Quare in contractu emphyteuticario emphyteuta quotannis pensionem quandam, in recognitionem partis proprietatis et iuris re immobili utendi fruendique sibi ab altero collati, in alterum scilicet dominum directum conferre debet. Sed pension est quantitas utilitatis alteri propter benefactum conferenda (*s. 2.*), et genus quidem constituit, quod vel rem externam, cui pretium vulgare inhaeret, tanquam unam speciem, vel pecuniae quantitatem, tanquam alteram, seu magis ordinariam speciem inuoluit (*s. cit.*). Quare contractus emphyteuticarius reddit ad contractum, quo unus alteri quotannis pensionem, quae ordinarie certa pecuniae summa est, (vel aliud, quod eidem substituitur), in recognitionem partis proprietatis et iuris re immobili utendi

CIRCA CONTRACT. EMPHYTEUTICARVM.

vtendi fruendique sibi ab altero collati, in dominum directum conferre debet. Si praescindere velis a parte proprietatis, in contractu emphyteuticario inuenies contractum, quo unus quotannis ordinarie certam pecuniae summam, vel aliud, quod pecuniae substituitur, in recognitionem iuris re immobili alteri propria vtendi fruendique sibi ab altero collati, in alterum transfert. Verum contractus, quo unus alteri pro visu rei externae alteri propriae determinatae, certam pecuniam reiterata vice per aliquot annos conseruit, inuoluit locationem conductionem rerum non-transitoriarum (§. 4. Diff. IV.). Vnde constat, quod in contractu emphyteuticario post consummationem plurima comprehendamus, quae locationem conductionem rerum non-transitoriarum efficiunt. arg. §. 3. Inst. de locat. L. I. ff. Si ager vectig. et STRAVCHIT Diff. XV. §. 33.

SCHOLION.

Priori quartae dissertationi annexa fuit dissertatione epistolica, in qua euicta fuit seruitus temporaria, locatione conductione constituta. Eandemque seruitutem iuri quidem naturali firmam esse atque stabilitam asserimus, licet ius germanicum, quod saepe numero contra iuris Romani tenorem iuri naturali inhaeret, istam seruitutem temporariam ignoret. Verum ex legis primae spho primo Pandect. si ager vectig. pet., quam ad §. praesentem allegauimus, appareat, ius romanum a nostra, quam in citata Dissertatione epistolica asseruimus, sententia non plane recedere. Verba legis citatae ita sonant: *Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, quamvis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem aduersus quemvis possefforem: sed et aduersus ipsos municipes.* Ex hac itaque legi intuitu cognoscimus, ius romanum eis, qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt, ius quoddam reale a domino diversum concedere. Is enim, cui actio in rem contra quemcumque possefforem competit, habet ius realē. Cum itaque isti, qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, domini non efficiantur; fundus, quem in perpetuum fruendum conduxerunt, mauct res corporalis municipibus propria; potro cune

DE IMPVITATIONE CULPAE

istis conductoribus in lege concedatur ius reale; ex legē citata colligere licet, ius romanum istis conductoribus concedere ius perpetuum in fundum municipibus proprium, h. c. in rem alienam corporalem, in utilitatem istis conductoribus constitutum. Verum ius in rem alienam corporalem in nostram utilitatem constitutum dicitur seruitus (§. 1. L.2. tit. 6. Elem. Iur. ciu. Dn. Praef.). Quare ex hac lege utique inferre possumus seruitutem perpetuam locatione conductione perpetua etiam iure romano constitutam. Quae seruitus secundum significatum vocis frui, vsumfructum attamen non personalem, sed perpetuum efficeret. Haec itaque lex nobis rationem subministrat, vsumfructum in perpetuum et temporarium diuidere, eterque autem vel lucratius esse potest, vel onerosus, adeo in locatione conductione perpetua vsumfructus perpetuus, sed onerosus substitutur, et locatione conductione temporaria quoque constitutatur vsumfructus temporarius onerosus principiis iuris Romani haud repugnans. Et haece nostra principia in causis quoque controverfis magna nobis afferre possunt adiumenta, cum nimur ex argumento legum ab vsumfructario ad conductorem concludere possumus, iii scilicet in causis, in quibus in vtroque eadem rationes obtinent.

§. IV.

Contractus emphyteuticarius ab initio ad emtionem venditionem, ex post facto autem ad locationem conductionem rerum non-transitoriam proprius accedit (§. 1. 3.). Quare contractus emphyteuticarius mixtus esse videtur.

§. V.

Ex contractu emphyteuticario ab initio quidem dominus directus vel pretium aliquod, licet, propter inexcultam emphyteusin, exiguum, accipit, quod autem reiterateda quotannis pensione auctum, translato dominio utili rei immobilis substitutur; deinde quoque emphyteuta melioratione rei emphyteuticariae propriam non minus quam domini directi promouet utilitatem (§. 1. 3.). Utilitas itaque, quam dominus directus et emphyteuta ex hoc contractu percipiunt, sequentibus annis aequalis redditur.

Quare

CIRCA CONTRACT. EMPHYTEUTICARVM. 3

Quare dominus directus et emphyteuta ex hoc contractu ad diligenter medium sibi inuicem exhibendam, et inde ad damna leui culpa data reparanda obligantur (§. 29. Diff. II.). Conf. SIR. V. VII syntagm. Iur. Ciu. Exerc. 14. §. 33.

7-8

§. VI.

Si emphyteuta pro transferendo dominio utili rei immobilis pretium quoddam promittit, tunc contractus emphyteuticarius ab initio emtioni venditioni similis redditur (§. I.). Sed in emtione venditione sub conditione scripturae conficienda ante confectionem scripturam periculum est penes venditorem, postea penes emtorem, vnum tamen alterum ad scripturae confectionem adigere valet (§. 52. Diff. III.). Quare in contractu emphyteuticario sub conditione scripturae super ipso conficienda inito, quo emphyteuta pretium promisit, ante confectionem scripturae periculum est penes dominum directum, et subsecuto interitu emphyteuta ad pretium quidem minus, post eam autem etiam ad pretium solendum obligatur. Interea tamen vnum ex his contrahentibus alterum, qui scripturae confectionem sibi sumvit, ad eam adigere valet.

COROLL.

Malum ex mora alterius contrahentis subortum alteri ad interesse imputatur (§. 39. Diff. II.). Quodsi itaque emphyteuta moras nectit in conficienda ista super contractu scriptura, tunc ad interesse domino directo obligatur, si res etiam sola causa perierit.

§. VII.

In contractu emphyteuticario sub conditione resolutiva initio, quo emphyteuta pretium promisit, periculum est penes emphyteutam, et inde subsecuto interitu rei ad pretium domino directo solendum obligatur (§. I. h. I. et 70. Diff. III.). Porro quoque se emphyteuta arrham dederit, tum quoque periculum est

A 3

penes



6. MVRIA DE IMPUTATIONE AC VLPNAE CIRCO

penes emphyteutam, et ipse, subsecuto interitu vel subsecuta poenitentia a domino directo arrhae restitutionem non exigit (§. 19. Diff. III.), atamen subsecuta domini directi poenitentia duplex arrhae exigit, Conf. §. 14. Lib. III. Tit. 5. Eli. Iur. Ciuit.

S. VIII.

Malum conductori in re sua casu quidem subiungit, cui tamen culpa vel lata vel leuis locatoris rerum quam concusa inest, locatori ad reparacionem damni dati imputatur (§. 32. Diff. IV.). Quare malum emphyteutae in re emphyteuticaria casu quidem quodammodo subiungit, cui tamen culpa lata vel leuis domini directi inest, ad reparacionem damni ex contractu domino directo imputatur (§. 3.).

S. IX.

Vsus rei mero casu vel prorsus, vel maxima ex parte impeditus, efficit, ut magistratui licet ex aequitate naturali mercedem conductoris, alias locatori rerum exsolvendam, vel omnem vel saltim pro parte detrahere (§. 33. Diff. IV.). Sed in contractu emphyteuticario ex post facto quidem deprehendimus plurima, quae locationem conductionem rerum non-transitoriam efficiunt, cum primis si annua pensio usi fructui rei quodammodo proportionata sit (§. 3). Quare vsus rei mero casu vel prorsus vel maxima ex parte impeditus, efficit, ut magistratui ex aequitate licet, cum primis, si pensio annua fructibus quodammodo proportionata sit, pensionem domino directo ab emphyteuta exsolvendam vel omnem, vel quoad partem, detrahere. Conser. STRVII Synt. Exerc. Iur. Ciuit. 24. §. 34. et CARPZOV. Ref. 34.

S. X.

Verum tamen cum in locatione conductione rerum non-transitoria locatori, qui propter sterilitatem viuis anni mercedem, vel saltim quoad partem remisit, ista remissio

CIRCA CONTRACT. EMPHYTEVTICARIVM. 7

missio, propter insignem vberatatem sequentium annorum, obesse non posse (§. 40. Diss. IV.). Inde quoque sub data hypothesi, qua pensio annua fructibus proportionata est, domino direcio, qui propter sterilitatem eius anni pensionem annuam vel saltim quoad partem remisit, ista remissio propter insignem vberatatem sequentium annorum obesse non potest (§. 3.).

SCHOLION.

Cum indubio sequamur id, quod minimum et aequitatis naturalis est; in partem emphyteutae inclinare tutius est, si adhuc sub iudice lis esset, utrum annua pensio fructibus sit proportionata nec ne, ita tamen, ut vberatatem sequentium annorum simul respiciamus,

§. XI.

Vsus rei mero casu non plane omnis vel maxima ex parte impeditus, in locatione conductione rerum cum primis non transitoria non efficit, vt stricto iure conductor mercedem detrahere possit, ex aequitate tamen detrahit, cum merces fructibus proportionalis sit (§. 39. et 33. Diss. IV.). Vnde si annua pensio in contractu emphyteutico usufructu rei emphyteuticae longe minor; tum usus rei vel sterilitate impeditus neque iure stricto, neque ex aequitate naturali efficit, ut conductor licet pensionem annuam vel saltim quoad partem detrahere (§. 3.). Conf. STRVII.

Synt. Iur. ciu. Ex. 24. §. 34.

COROLL.

Si emphyteuta per pactum sue in continentie sue ex internali adiectum casus in se suscipit, eo nimur in casu, si annua pensio fructibus proportionata; ex §. Diss. IV. decidi potest, quandonam remissio adhuc locum inueniat.

§. XII.

Si emphyteuta propter bellum et incursum hostium fundum ingredi et excolare plane nequeat, tum usus rei emphy-

8 DE IMPVTATIONE CVLPAE COROLL

emphyteuticariae plane omnis mero casu impeditus. Quare sub hac hypothesi, qua emphyteuta propter bellum ac hostium incursum fundum emphyteuticarum ingredi, et excoleste plane non potuit, vel saltim ex aequitate licebit magistratu, annuam pensionem vel saltim ex parte domino directo alias ab emphyteuta exsoluendam derrahere (§. 10.), quanquam non inficiandum, quin et remissio sub hac hypothesi facta domino directo propter insignem sequentium annorum vberatatem obesse non potuerit (§. 11.).

§. XIII.

Rem meliorare in iure idem denotat, quod in philosophia significat rem perficere. Cum autem perfectio rei oriatur, si varia quaedam cum conseruatione et incremento rei consentiunt (§. 20. Elem. Iur. Nat. Dn. Praef.), is, qui ad meliorationem rei obligatus est, id agere debet, vt rei substantia non solum conseruetur, verum noua quoque in dies capiat incrementa. *Emphyteuta igitur obligatur eo dispicere, ut substantia rei non solum conseruetur, verum noua quoque in dies capiat incrementa.*

COROLL. I.

Emphyteuta si dolo aut culpa leui substantiam rei emphyteuticae destruit, aut aliunde destrui patitur, nec minus noua rei emphyteuticariae addere incrementa neglit, obligationem domino debitam dolo vel culpa violat, et inde dominum perficere laedit.

COROLL. II.

Emphyteuta si frugiferas arbores a semetipso licet positas eradicerit, quamvis nouas substituerit nondum frugiferas, obligationem domino debitam vel dolo vel saltim lata culpa violat, ideoque dominum laedit.

COROLL. III.

Ponas autem emphyteutam vetustas et minus frugiferas tolleres et nouas substituere arbores frugiferas, obligationem domino debitam nondum violauit. Attamen cum saepe numero propter eradicationem arborum etiam vetustarum lis ipsi a domino directo moueri possint

CIRCA CONTRACT. EMPHYTEUTICARVM. 9

possit, qui easdem adhuc frugiferas fuisse afferit, emphyteuta in casu dubio consensum domini directi in eradicatione arborum vetustarum requirere debet.

S. XIV.

Emphyteuta, dum rem meliorauit, obligationi perfractae domino debitae satisfacit (§. 1.). Verum qui id alteri confert, ad quod conferendum perfecte obligatur, iure perfecto nihil ab altero repetere potest, (per Pr. Iur. Nat.). *Emphyteutia itaque meliorationes a domino directo, etiam in casu, quo emphyteusi priuatur, repetere nequit.* L. 2. C. de Jure Emphyteuti.

S. XV.

Emphyteuta, dum rem emphyteuticariam derelinquit, obligationem suam, ad rem emphyteuticariam meliorandam, neglit (§. 13.). Hinc non video, quomodo cum Illustri BOEHMERO in §. 8. h. t. comp. Pand. afferere possimus, *quod emphyteuta iniuncto domino emphyteus/in cedere aut derelinquere possit.* Conf. STRVVI Syntagn. Iur. ciu. Exerc. XI. §. 72.

SCHOLION.

Provocat quidem Illustris BOEHMERVS in §. 8. h. t. Digestor, ad L. 48. pr. L. 64. ff. de vſuſt., atque ab vſuſtuario ad emphyteutam argumentatur. Verum nollem in hoc articulo ab vſuſtuario ad emphyteutam concludere; ideo, quia vſuſtuarus tantum obligatur ad substantiam rei conseruandam, minus autem, sicuti emphyteuta, ad rem meliorandam.

S. XVI.

Casum ordinarie sentit dominus (p. princ. I. Nat.). Cum itaque rei emphyteuticariae dominium in duas personas diuisum sit, quarum altera dominium directum, altera autem seu emphyteuta dominium ytile habet (§. 26. add. Sect. II. Elem. Iur. ciu.): casualem rei emphyteuticariae interitum vterque et dominus directus et emphyteuta sentire debere videtur. Verum cum emphyteuta tantum, minus autem dominus directus, obligatus sit, ea, quae ad

B

con-

conseruationem et incrementa rei spectant, conferre (§. 13.), nec minus emphyteuta maxima quoque ex re emphyteuticaria percipiat commoda; *emphyteuta potius, quam dominus, iure stricto obligatur ad restitutionem et refectionem rei emphyteuticariae, quae mero casu interiit.* Ast enim vero, dum res emphyteuticaria mero casu interiit, oritur status, ei similis, quo vſus rei emphyteuticariae mero casu impeditur. Cum autem in isto casu, quo vſus rei mero casu impeditur, tres occurrant casus; vſus enim rei emphyteuticariae *vel* omnis *vel* maxima ex parte, *vel* minima ex parte impeditus est: in duobus casibus prioribus magistratui licet, ex aequitate faltem naturali, absoluere emphyteutam ab obligatione ad pensionem annuam domino directo praestandam (§. 9. 10.); in tertio autem casu, si nimirum vſus rei emphyteuticariae minima tantum ex parte mero casu impeditur, adhuc manet obligatio emphyteutae ad pensionem annuam domino soluendam (§. 11.). Magistratui itaque tum demum licet emphyteutam ex aequitate naturali absoluere ab obligatione ad restitutionem rei emphyteuticariae, si *vel* totalis *vel* maxima ex parte mero casu interiisset: in eo autem casu, si res emphyteuticaria minima tantum ex parte mero casu interiisset, obligatio emphyteutae ad restitutionem rei emphyteuticariae, ne quidem aequitate naturali repugnante, salua manet. L. I. §. 3. C. de Iure Emphyt. §. 3. in fin. Inst. de loc. cond.

COROLL. I.

Obligatio emphytentiae ad restituendam partem rei emphyteuticariae, quae mero casu interiit, est obligatio moralis, cum ex pacto oriatur (§. 36 Diff. II.). Obligatio itaque emphytentiae ad restituendam partem rei emphyteuticariae, quae mero casu interiit, cessat, si ipsa restitutio vel in se vel ratione virium emphytentiae est impossibilis.

COROLL. II.

Et in hoc casu obligatio ad annuam quoque pensionem vel saltem ex parte in posterum cessat; ob aequitatem naturalem, si annua pensione

CIRCA CONTRACT. EMPHYTEUTICARIVM. II

penfio fructibus proportionata (§. 3. h. 1 et §. 37. Diff. II.). Conf.
STRVII Syntagma. I. c.

COROLL. III.

Si annua penfio fructibus proportionata in caſu, quo res emphyteuticaria mero caſu, minori tamen ex parte, interiit, ex aequitate naturali, propter fumus in reſtitutionem faciendos, annua penfio remittitur, maxime ſi cum acaſiis quoque fructus interiicerint.

COROLL. IV.

Si res emphyteuticaria mero quidem caſu, ſed maxima ex parte interiit, emphyteutae licebit emphyteufin derelinquere, dominus tamen emphyteutam expellere nequit, qui ſeſe offert ad ſuccelluam rei emphyteuticariae reſtitutionem.

COROLL. V.

In dubio ſequimur id, quod minimum et aequitatis naturalis eft (§. 113. El. Iur. Nat. Dn. Praef.). Si itaque res emphyteuticaria dimidia tantum ex parte mero caſu interiit, emphyteutae adhuc librum eft, an derelinquere velit emphyteufin, an retinere, et ſuccellue refiuiture partem emphyteuticariae rei, quae caſu interiit.

§. XVII.

Emphyteuta ab initio huius contractus pro transfeſendo dominio vtili in dominum vel nullum vel valde exiguum pretermi conſert (§. 1.). Contractus itaque emphyteuticarius ab initio donationem partis proprietatis vel in toto vel ſaltem ex parte in ſe continent (§. 9. 3. tit. 2. El. Iur. Ciuit.). Emphyteuta insignem et qualificatam erga dominum ingratitudinem commonontrat, ſi ſuam, quam domino ceu donatori debet obligationem, dolo aut culpa lata neglit. Ei enim, qui donatorem dolo vel latu culpa perfece laedit, ingratitudinem insignem qualificatam attribuimus (§. 766. Iur. Nat. b. KOEHLERI). Verum donator, ob insignem h. e. qualificatam donatarii ingratitudinem, donationem reuocare potest (§. 27. Lib. 3. tit. 8. Elem. Iur. ciuit.). *Hinc dominus emphyteufin reuocare potest, ſi emphyteuta obligationes, quas domino debet, dolo aut culpa lata neglexerit.*

B 2

§. XVIII.



§. XVIII.

Emphyteuta obligatur ad pensionem domino directo singulis annis in recognitionem dominii directi praestandam (§. 1.). Quare dominus emphyteus in reuocare potest, si emphyteuta obligationem suam, ad pensionem domino praestandam, dolo aut lata culpa neglexerit (§. praec.). Verum contractus emphyteuticus ex post facto locationi conductione non transitoriae similis (§. 2.), locatorque in hac locatione conductione ius accipit, conductorem expellendi, qui per aliquot terminos, nimurum iure ciuili per biennium, mercedem non soluit (§. 28. Diff. IV.). Quare dominus emphyteus in reuocare potest, si emphyteuta obligationem, ad annuam pensionem domino praestandam intra biennium, dolo aut lata culpa neglexerit. Cum autem emphyteuta praeter vsum fructum, quo conductor tantum gaudet, simul partem habeat proprietatis; in seculari emphyteusi biennio unus adhuc annus adiectus, in ecclesiastica tamen ex priuilegio, quo gaudet ecclesia, biennium sufficit ad priuationem emphyteusos, si intra illud emphyteuta obligationem, ad annuam pensionem domino praestandam, dolo aut lata culpa neglexerit. Avthi qui rem. C. de SS. Ecc. CARP ZÖV. P. 11. Conft. 38. Def. 23.

COROLL. I.

Donator cum ob leuem vel leuissimam culpam donatarii donationem vix reuocare possit (§. 27. Lib. 3. tit. 8. El. Iur. ciu.): Dominus emphyteus in reuocare nequit, si emphyteuta obligationem, ad annuam pensionem domino praestandam inter terminos lege definitos, haud quidem dolo aut lata culpa, attamen leui et leuissima neglexerit. Inter alia cum emphyteuta adhuc obligetur, damna, culpa leui domino data, reparare, leuisque culpa sit latae prior, quam leuissima (§. 114. Diff. 1.): emphyteuta, qui obligationem, ad annuam pensionem domino intra terminos lege definitos praestandam, culpa leui neglexit, licet a priuatione emphyteusos absolviatur, tamē ad interesse morae et ad poenam extraordinariam condemnatur; cum emphyteuta, qui culpa tantum leuissima istam transgressus est obligationem, ne quidem in poenam extraordinariam condemnari possit. Perillust. Dom. a LEYSER Medit. ad Pand. 1. c.

COROLL.

COROLL. II.

Emphyteuta, qui partem annuae præstationis, propter varias, quibus afflictus est calamitates, vel soluit, vel saltē domino obtulit, licet dominus non acceptauerit, vitur viribus suis explendo officio adhuc residuis, et consequenter a dolo et culpa saltim lata vacuus est (§. 88. Elem. Iur. Nat.), nec adeo in hoc casu emphyteuti priuari potest.

COROLL. III.

Dominus singulis annis ius habet annuam ab emphyteuta exi-
gendi pensionem (§. 1.). Cum autem iura nobis circa nostrum con-
fentium non auferantur (per Pr. Iur. Nat.); *dominus ab emphyteuta etiam post priuationem emphyteuticos annuas perit pensiones non solu-
tas.* Conf. Perillustr. Dom. a LEYSER Medit. XI. specim. 103.

S. XIX.

Emphyteuta perfecte obligatur in id laborare, ut sub-
stantia rei emphyteuticariae non solum conseruetur, ve-
rum noua quoque incrementa capiat (§. 13.). Emphyteu-
ta itaque, qui emphyteusin, vel totalem, vel saltim ex parte,
sue dolo, sue lata culpa, aut corrupit seu deteriorauit, aut ex-
colere neglexit, domino ius porrigit, emphyteusin, in primo ca-
su totalem, in altero autem ex parte revocandi, quam excolare
neglexit, aut corrupit.

COROLL. I.

*Quodsi vero emphyteuta culpa leui tantum deteriorauerit, aut
profus incultam neglexerit emphyteusin vel eius partem, ad inter-
esse seu restitutionem et ad poenam extraordinariam condemnatur
(§. 18. Cor. 1.).*

COROLL. II.

*Si emphyteuta frugiferas arbores a semetipso licet positas inci-
dar, et nouas in eorum locum aut alia incrementa noua non surro-
get, ea saltim parte rem emphyteuticariam dolo aut lata culpa de-
teriorum reddit, et consequenter ea saltim parte emphyteuticos priuati-
tur, qua frugiferas a semetipso licet positas arbores incidit, ac noua in
eorum locum incrementa aequalia non substituit.*

COROLL. III.

*Si emphyteuta vetustas arbores eradicatorerit, nouasque frugiferas
in eatum locum c.tra consentium tamen Domini posuerit, a leui saltē
culpa*

culpa non prorsus vacua (§. 13. Coroll. 3.), ideoque tum demum ad interesse et ad poenam extraordinariam condemnari potest, si dominus probauerit, vetustas arbores, quarum magnam partem emphyteuta simul cradicauit, adhuc frugiferas fuisse.

SCHOLION.

Hinc Icti Helmstadienses, Perillustr. LEYSERO autore, responderunt: Ob wohl Beklagter theils gefändig, theils füsam überführt ist, dass er auf seinem Gute ziemlich viel Bäume ohne Vorwissen des Guts-Herrn abgehauen und verkauft; wannenhero es das Ansehn gewinnet, ob hette er von dem Gute verstoßen zu werden wohl verdienet. Aldieweil aber der durch das Abhauen einiger Bäume verursachte Schaden durch das ausgeführte Gebäude und Pflanzung junger Bäume in etwas ersetzt wird; so haben wir Beklagten, im Fall er ad protocolium angelobet, dass er in Zukunft keinen auch unnützen Baum ohne Vorwissen des Guts-Herrn abhauen, und, dafern er seinem Ver sprechen nicht nachkommen würde, das Gute ohne allen Wiederspruch räumen wolle, vor diesmahl von der Klage losgesprochen.

§. XX.

Emphyteuta, antequam dominus directus animum reuocandi emphyteutis, ob neglectam obligationem emphyteutae, declarauerit, adhuc b. f. possessor est rei emphyteuticariae (§. 78. lib. 2. tit. 2. El. Iur. ciu.). Titulo enim habili dominium vtile acquirendi vel saltem putatio non dum priuatur. Quare emphyteuta fructus, etiam post tempus §. praec. determinatum elapsum, verum ante declararam revocationem domini perceptos, adhuc acquirit (§. 85. l. c.), post istam autem ad dominum directum spectant. CARPOV. P. II. Const. 38. Def. 12.

§. XXI.

Emphyteuta in translatione dominii sui utilis in extraneum quemdam facienda, consensum domini directi exigere obligatur, ne alienatio in praeiudicium domini directi fiat, dominusque in iure suo protimiseos turbetur (§. 15. Lib. 2. Tit. 3. Elem. Iur. ciu.). Emphyteuta itaque, qui

CIRCA CONTRACT. EMPHYTEUTICARIVM. 15

qui in translatione dominii sui in extraneum quemdam facta, consensum domini directi neglexit, obligationem perfectam, domino debitam, dolo vel lata culpa violat, ideoque dominum perfecte laedit, et consequenter insignem et qualificatam ostendit ingratitudinem (§. 766. Iur. Nat. B. KOEHLERI). Quare dominus in casu, quo emphyteuta in alienatione emphyteusos consensum domini neglexit, emphyteusis revocare valit. L. fin. C. de iure emphyt.

COROLL. I.

Si donator, ob ingratitudinem qualificatam donatarii, donationem in vita sua haud revocavit, eandem donationem heredes donatoris revocare nequeunt (§. 154. El. Iur. ciu.). Quare heredes domini emphyteusis, absque consensu eiusdem requisito alienatam, revocare nequeunt, si dominus in vita animum revocandi haud significaverit. Conf. BERGERI Oec. Iur. L. III. Tit. 5. §. 29. n. 2., qui hanc sententiam ex arg. L. 7. C. de revoc. don. ex ratione §. praece. tradita intulit.

COROLL. II.

In Saxonia confirmatio judicialis ad alienationem rerum immobilium requiritur, id quod aliunde constat. Quodsi itaque dominus directus simul iurisdictione patrimoniali gaudet; in Saxonia vix fieri potest alienatio emphyteusos absque consensu domini directi, et inde recte intulerunt CARPZOV. Part. II. Conf. 38. Def. 13. et BERGER I.c. §. 28. n. 5. quod in Saxonia, sub data determinatione, vix emphyteusis, ob alienationem circa consensum domini, revocari possit.

§. XXII.

Iure Saxonico ius protimiseos, anno post alienationem consummatam elapsi demum, praescribitur, etiam omissa denunciatione. Conf. CARPZOV. Part. II. Conf. 32. Def. 4. Cum autem emphyteuta consensum domini ad alienationem, maxime ob ius protimiseos, quod domino competit, requirere debeat (§. praece.): non dubito, quin emphyteuta intra annum post alienationem consensum domini requiri posse, adeo, ut priuatio emphyteusos, ob non requisitum consensum domini, tunc demum locum inuenire possit, si emphyteuta intra annum post alienatio-

nem

36 DE IMPVITATIONE CVLPAR.

nem consensum domini non requisiuerit. Conf. Perill. Dom. a LEYSER Medit. ad Pand. I. Spec. 165.

COROLL.

Verum tamen, si emphyteuta domini consensum requisiuit, dominus autem neque consensum, neque id premium pro emphyteusi dare velit, quod tertius extraneus emphyteutae obtulit; tunc magistratus ex officio supplere potest consensum, ita tamen, ut domino aliquod deliberandi spatium adbus relinquatur, quod ius civile ad duos meses restrixit; licet non negandum, iure Saxonico domino anni spatium deliberandi fuisse relictum. Conf. CARPOV. Part. II. Conf. 32.

§. XXIII.

Bona censitica, quae priscis germanorum legibus magis cognita fuerunt, quam emphyteutes Conf. Perillust. Dom. a LEYSER Meditat. ad Pand. Spec. 102., habent quidem similitudinem cum emphyteusi, verum tamen ab eadem abhuc valde differunt. In hisce enim bonis censiticis possessores eorum obligati sunt, alteri personae, maxime autem possessori praedii, annum censem, seu canonem soluere. Iam vero obligationi, quae vni inhaeret, in altero respondet ius (§. 43. El. Iur. Nat.). Alter itaque possessor praedii in bonis censiticis habet ius in praedium alienum quoad annum canonem, h. e. quoad certam utilitatem. Iam vero ius in rem alienam quoad certam utilitatem possessori cuiusdam praedii constitutum, est seruitus realis (§. 31. add. Sect. II. Elem. Iur. ciu.). Bona itaque censitica alteri in alterius praedium seruitutem quamdam, Romanis ideo incognitam, conferunt; quia ista, quae bonis censiticis continetur seruitus, non quidem in facto omisso, quod Romani ex errore determinarunt, sed in facto commissuo consistit. §. 30. I. c.

COROLL. I.

Dominus itaque bonorum censiticorum habet dominium plenum (§. 6. add. Sect. II. El. Iur. ciu.), et inde bona censitica maxime differunt a bonis emphyteuticariis (§. 1.).

COROLL.

COROLL. II.

Dominus praedium suum circa consensum eius, qui in istud habet seruitutem, alienare potest (per Pr. Iur. ciu.). *Censita itaque bona sua, circa consensum alterius possessoris praedii dominantis, alienare potest (§. praecl.), et consequenter censita bonis, circa consensum alterius praedii dominantis alienatis, haud priuatur (§. praecl.).*

COROLL. III.

Tantum abest, ut censita dominium suum plenum ex donatione domini praedii dominantis habeat; ut potius dominus praedii dominantis saepe numero annuum suum canonem ex donatione censitae exigere possit (§. praecl.). Verum ob donationem domini emphyteutae factam, emphyteusi priuatur, si in seculari, intra triennium, in ecclesiastica vero, intra biennium, annum canonem solvere dolo vel lata culpa omisit (§. 21). *Quare censita, licet intra triennium annum canonem solvere, vel dolo vel culpa, omisit, bonis suis censiticis a domino praedii dominantis adhuc non priuatur.* Cum autem censita annum canonem non solvens obligationem suam perfectam alteri debitam negligat, ideoque dominum praedii dominantis perfecte laetat (§. praecl.), damnaque inferat; quid quod dolum et culpa poena extraordinaria, dolo vel culpare proportionata, coerceri possit (§. 153. Cor. II. El. Iur. Nat.). *Censitam annum canonem, dolo vel culpa lata domino praedii dominantis haud soluentem, ad reparationem danni, adeoque ad intresso morae teneri, atque in poenam extraordinariam ob dolum vel culpam latam condemnari posse, in aprico est. conf. Perilli, a LEYSER l. c.*

§. XXIV.

Sufficient haec quoad contractum emphyteuticarium. Progredimur itaque ad CONTRACTVM SOCIETATIS, quem contractum consensualē esse, evicimus, de rebus in se inuicem conferendis, ad lucrum vel damnum, rebus collatis proportionatum, percipiendum initum, in §. 24. L. III. tit. 2. Elem. Iur. Ciuil., et cum operaे nostrae rebus nostris externis substitui possint, vti ex §. 83. L. III. tit. 1. l. c. appetat; constat, quod in contractu societatis liceat rebus externis operas alterius contrahentis substituere, ita, vt in hac societate vnuſ res externas quasdam, alter autem cum primis operas suas conserat, ad lucrum et damnum

C

inde

inde eueniens, rebus et operis proportionatum, percipiendum. L. 5. §. 1. ff. pro socio.

§. XXV.

Cum duo vel plures res suas conferunt ad lucrum, rebus collatis proportionatum, percipiendum, tum ex ista collatione apparet, quod eterque autem, lucrum istud sibi representatum ab uno separatim, (seu sine collatione alterius) vel plane non, vel non satis commode, obtineri posse. Ast representatum existentiae reddendum, quod ab uno vel plane non, vel non satis commode; a duobus autem vel pluribus facilius, obtineri potest, dici meretur **FINIS COMMUNIS**. Quare contractus societatis continet pactum duorum vel plurium de fine communii obtinendo; quod cum efficiat societatem (§. 130. Praecogn. ad Elem. Iur. ciu.) : *contractus societatis in se continet notio nem societatis vere talis*. Sed in societate focii simul sumit vnam representant personam, et inde inter socios unus intellectus, vnaque voluntas concipitur, quae arctam amicitiam efficit: *Hinc concipimus, cur contrahentes in contra*bu*s societatis vnam representant personam, et cur inter eos arcta amicitia præsumatur* L. 63. pr. ff. pro socio. Conf. Illust. RECHENBERGERI Tr. de Regi. Iur. ciu. Lib. III. tit. 14. §. 15.

§. XXVI.

Contrahentes in contractu societatis res suas lucri seu quaestus caussa in se inuicem conferunt (§. 24.), adeoque ius rebus alteri socio propriis vtendi. Verum is, qui ius re sibi propria vtendi per pactum in alterum transfert, eodem tamen dominium rei ipsum in alterum nondum trans tulit, iuxta §. 37. Lib. III. Tit. 4. Elem. *Hinc quamquam contrahentes in contractu societatis ius rebus sibi inuicem propriis vtendi in se inuicem transtulerint, tamen ipsum rei dominium non transtulerunt; inde quilibet saltem contrahens dominium rei suae vel saltem aequipollens, retinet arg.* L. 34. ff. de S. P. R.

§. XXVII.

§. XXVII.

In contractu societatis contrahentes res suas luci caus-
ita ita in se iniucem contulerunt, ut per se quisque domi-
nium rerum, vel quod rebus aequipollat, retineat (§ praec.).
Verum is, qui res suas luci causa ita in alterum transfert,
ut dominium rerum, vel quod rebus aequipollat, retineat,
alterum rerum suarum administratorem constituit; secun-
dum notionem administratoris. *Quare in contractu societa-
tis contrahentes sunt rerum sibi iniucem propriarum collatarum
administratores.* Conf. STRVIIJ Iurispr. for. Lib. III.
Tit. 4. §. 5.

§. XXVIII.

Eius malitia, qui amicos laedit, insignis est (conf. §.
50. Praecogn. ad Element. Iur. Ciuit.). Inde in contractu,
quo inter contrahentes arcta amicitia intercedit, dolus seu
malitia non solum ad simplicem damni reparationem, ve-
rum quoque, notione quidem infamiae conuenienter, ad
infamiam imputari potest (§. 63. tit. 4. lib. 3. Elem. Iur. ciuit.).
Recte ideo Romani *dolus seu malitiam in contractu societa-
tis commissam socio non solum ad reparacionem damni, verum
quoque, notioni infamiae conuenienter, ad infamiam imputauen-
runt* conf. §. 1034. Iur. Nat. B. KOEHLERI. L. I. L. 6. ff.
de his qui notantur infamia.

SCHOLION.

Licebit nobis ad testimonium PETRONII ARBITRI prouo-
care cap. LXVII. satyr. propositum. *At enim, inquit Arbitri, ami-
ci fuerunt nostri, eo maiora meruerunt supplicia. Nam qui
ignotos laedit, latro appellatur: qui amicos, paullo minus quam
paricida.*

§. XXIX.

In contractu societatis arcam inter contrahentes ami-
ciam intercessisse praesumitur, et unus consideratur tan-
quam alterius rerum suarum administrator (§ 25. 27.).
Ast is, qui alteri, cum quo arcta sibi amicitia intercedit,
rerum suarum administrationem relinquit, ordinarie eam

C 2

tantum

tantum diligentiam in administratione ab altero expectat, quam alter in rebus suis, bonum patrem fam. pro more suo agens, adhibet; et alter quoque ordinarie eam diligentiam adhibere velle affirmat, quam in suis rebus adhibere solet: *Ich wills halten wie das meinige.* Id quod ad communem vitam attenti experimur. Idcirco colligere licet, quod quilibet contrahens in contractu societatis ordinarie in eam diligentiam circa res alterius adhibendam consentiat, quam ipse, bonum patrem fam. pro more suo agens, adhibet (§. 2. Diff. II.). Verum eum diligentiae gradum alteri contrahenti exhibere obligamur, in quem pacto iusto consensimus (§. 15. Diff. II.). Vnde quilibet contrahens seu socius in hoc contractu ad eam diligentiam, alteri in rebus collatis exhibendam, ordinarie obligatur, quam ipse, bonum patrem fam. pro more suo agens, adhibet; quae dici meretur DILIGENTIA MEDIA IN CONCRETO (§. 22. l. c.). Quare socii ex contractu societatis ordinarie ad diligentiam medium in concreto, sibi in vicem in societate exhibendam, obligati sunt. §. vlt. Init. de loc. L. 72. §. 3. L. 53. §. 2. L. 72. ff. pro socio.

SCHOLION.

Quodsi alicui dubium subnascitur, ac si praecedens propositionis generalibus de imputatione culpaे circa contractus, et imprimis §. 20. 27. Diff. II. contradicat, et secundum §. cit. assertat, socios sibi in vicem potius ad diligentiam medium in abstracto obligatos esse, cum nimis utrique aequaliter utilitatem percipiunt; *Is, paullo accuratius §. cit. perpendendo, ICtos Romanos a suspitione contradictionis dimittit, et nobiscum intellectum ICTORUM systematicum admirabitur.* Nam principium generale, ex quo omnis imputatio culpaе circa contractus determinatur, eo redit, quod nimis contrahentes ad eam diligentiam sibi in vicem exhibendam obligati sunt, in quam pacto iusto consenserunt (§. 15. Diff. II.); cui et nostra imputatio culpaе circa contractum societatis satis conuenit (§. praec.). Porro nec §. praecedens propositioni specialiori §. 27. 29. l. c. prolatae contradictit. Nam tum demum contrahentes, commune commodum ex contractu percipientes, ad medium diligentiam in abstracto obligati sunt;

funt, si de alio consenſu, a praefumto, qui ex natura contractuum communi elicitur, diuerſo, non conſet (§. 27. Diff. II.). Cum igitur in hoc contractu societatis, propter arctam, quae inter socios intereſſiſſe praefumit, amicitiam, de alio consenſu, a praefumto, qui ex natura contractuum communi alias elicitur, diuerſo, actu conſet (§. praece.): latifime patet, in contraelu societatis alias determinationes adſeſe, quae naturalia contractuum mutant (§. 9. Diff. II.), propoſitioneque §. praece. erutam propoſitioni ſpecialiori §. 27. 29. traditae minus contradicere.

§. XXX.

Ei contrahentium, qui alteri damnum, dolo vel culpa quacunque, in re dominio alterius subiecta, citra reſpetum ad contractum dedit, damnum iſtud, etiam ex Lege Aquilia, ad reparationem et poenam imputatur (§. 17. Diff. II.). Vnde mirum non eſt, quod ſocio, qui alteri damnum actione dolosa vel culpoſa, citra reſpectum ad contractum ſocietatis, in re ſibi collata dedit, dannum iſtud ex Lege Aquilia ad reparationem et poenam imputetur. Cum autem post reparationem danni a laedente factam, laetus ius ſuum exigendi reparationem amittat: nullus dubitat, quin reparatio danni, quam laetus ſocius ex Lege Aquilia conſecutus eſt, tollat ius ex contraelu alias reparationem danni exigendi. L. 50. ff. pro ſocio.

SCHOLION.

Hoc modo iterum dubium, quod B. THOMASIVS in §. 27. citatae diſſertationis struxit, remouetur. Putat enim Thomasius, inter ICtos Romanos, Vlpianum, Celium et Julianum fuſſe diſſenſum, et Julianum promiſcue dediſſe ſocio ex contractu ſocietatis laeo actionem ex lege Aquilia; cum tamen Vlpianus non niſi ſub quadam determinatione ſocio hanc dederit ex lege Aquilia actionem. Negandum quidem non eſt, Vlpianum relpexiſſe in L. 49. ff. pro ſocio ad huncce caſum, ſi ſocius rem in ſocietatem collatam in alios, contractu haud determinatos, viſus vertere coepiri, iſpiaque verſione in alium viſum dolum vel culpam quamcunque commiſſerit. Verum Julianus, quem B. THOMASIVS allegat, in L. 42. ff. ad Leg. Aquil. quoque afferit, quod deponeſtunc demum contra depositariorum agere poſſit ex lege Aquilia, ſi depositarius cum re depoſita aliiquid agat, quod depoſiti haud deſcriptum

scriptum, atque in hac actione, quasi peregrina, culpam aut dolum committat. Hinc nullus amplius manet inter Iulianum et Ulpianum dissensus. Veraque enim tum demum actionem ex legge Aquilia dedit, si contrahens actione, in contractu non descripta, h. c. peregrina, dolum vel culpam committit. In hac enim actione peregrina contrahens seu extraneus considerari potest.

§. XXXI.

Quid autem si socius, qui damnum intulit, lucrum quoque insigne societati opera sua contulerit, forsitan lucrum cum damno ex aequitate naturali compensari potest? Et puto, quod non. Socius enim dum opera sua commodum societatis promouet, obligationi suae pactitiae satisfacit, ideoque istud lucrum socio nondum adhuc ad meritum imputari potest, et consequenter ob lucrum etiam insigne, quod socius societati contulit, alter socio priori nullum officium humanitatis singulare debet (§. 746. Iur. Nat. B. KOEHLERI). Iam vero eo demum in casu, quo officium humanitatis insigne, quod creditor debitori debet, iuri perfecto creditoris contradicit, aequitas naturalis a iure perfecto creditoris decernit exceptionem (§. 52. lib. 2. tit. VII. Elem. Iur. ciu.). Quare *socius, qui lucrum societati contulit, ne quidem ex aequitate naturali illud cum damno, quod societati dedit, compensare valet.* L. 23. ff. pro socio.

§. XXXII.

Interitus rei pactitiae singularis mere casualis obligationem contrahentis tollit (§. 36. Diff. II.). Vnde constat, quod interitus rei singularis mere casualis in societate collatae tollat obligationem alterius socii ad restituionem rei speziantem (§. 19. 20.) L. 2. §. 3. ff. pro socio.

§. XXXIII.

Ex legibus naturalibus strictis creditori datur ius perfectum exigendi totum debitum a quolibet debitore, ideoque etiam ab eo, cui creditor singularem amorem debet. Ponas autem debitorem, cui creditor singularem debet amorem, absque culpa sibi imputabili ad paupertatem redactum esse,

esse, adeo, ut necessaria vitae alimenta non superessent, si debitum integrum istiusmodi creditori soluere deberet; tunc creditor ex iure humanitatis, ob singularem, quem debitor debet amorem, obligatur ad remissionem debiti, vel totius, vel saltim pro parte, ne debitori necessaria vitae alimenta deficiant. Quare in casu, quo debitor, cui creditor singularem debet amorem, absque culpa sibi imputabili eum in statum peruenit, ut necessaria vitae alimenta deficerent, si debitum totum creditori soluere deberet, officium humanitatis insigne, quod creditor debitori debet, iuri stricto creditori competenti contradicit. Verum, si officium humanitatis insigne, quod creditor debitori debet, iuri stricto creditori competenti contradicit; magistratus, ex aequitate naturali, exceptionem a iure stricto creditoris, vel in totum, vel saltim pro parte, decernere valet (§. 34. Diff. IV. et §. 52. tit. 7. lib. 2. Elem. Iur. ciu.). Quare leges quoque ciuiles exceptionem, vel in totum, vel pro parte, a iure stricto creditori competente contra debitorem ad paupertatem redactum, cui creditor singularem debet amorem, determinarunt ita, ut istiusmodi debitor ultra necessaria vitae alimenta creditori soluere haud obligetur. Cum autem lex specialis, quae speciem quandam hominum a lege communii sive generali stricto excipit, beneficium iuris dicatur (§. 183. Praec. ad Elem. Iur. ciu.): in nostro casu debitor beneficium iuris nanciscitur, quod beneficium competentiae vocant. Eſt itaque BENEFICIVM COMPETENTIAE beneficium iuris, quo debitor, cui creditor singularem debet amorem, ultra necessaria vitae alimenta creditori soluere haud obligatur.

COROLL. I.

Beneficio iuris alias sibi competente vii non potest is, qui in dolore versatur (§. 184. P. aec. ad El. Iur. ciu.). Beneficio itaque competentiae debitori alias competente debitor vii nequit, si in dolore versatur.

COROLL. II.

Beneficium competitiae personam debitoris et creditoris individualiter respicit (§. praecl.). Quare ad heredes non transfit.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Socii sibi inuicem singularem debent amorem (§. 25.). Quare socio ad paupertatem redacto beneficium competentiae competit, nisi in dolo versatus fuerit (§. praecl.) L. 63. pr. et §. 1. ff. pro locio. L. 16. L. 22. §. 1. L. 67. §. vlt. ff. de re iud. Heredibus tamen istiusmodi socii ad paupertatem redacti beneficium competentiae haud competit, vi Coroll. II. §. praecl.

§. XXXV.

Datur contractus, quo quis praedium suum alteri ita vtendum confert, ut pro hoc concessio usui alter partem fructuum, opera alterius prouenientium, conferat, in quo alter colonus partiarius audit. Cum autem contractus, quo unus res quasdam sibi proprias externas, alter autem cum primis operas confert, ad lucrum et damnum inde eueniens, rebus et operis proportionatum, participandum, efficiat speciem contractus societatis (§. 24.): *in hoc contractu, quo colonum partiarium concipiimus, obtinet quadam contractus societatis species.* L. 25. §. 6. ff. loc. cond.

COROLL.

Idecirco ad colonum partiarium ea applicanda veniunt, quae §. 26. 27. et seq. de socio differuimus.

§. XXXVI.

In contractu societatis cum usu rei etiam mero casu impeditus et inde malum a sociis, iuxta quantitatem rerum vel operarum collatarum, sit ferendum, neuterque ab altero, nec ex aequitate naturali, aliquid a damno, rebus suis vel operis proportionato, subtrahere possit (§. 24.): *In aprico est, quod nec colonus, vt aiunt, partiarius, etiam si usus rei mero casu vel plane vel maximus impeditus, exigere possit, vt ipsi liceat ex aequitate naturali aliquid a parte fructuum, ex praedio accidente opera sua prouenientium, subtrahere, si bique arrogare; potius vero ipse colonus damnum, ex impedito usu emergens, rebus et operis proportionatum, cum domino simul ferre debeat.* L. 25. §. 6. ff. Loc. cond.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Vt denique imputationes culpae circa mandatum, quod ex contractibus consensualibus reliquum est, attin-gamus : eius notionem, quod sit contractus consensualis, quo quis negotium alienum gratis administrandum susci-pit, ex §. 32. Lib. III. Tit. 2. Elem. Iur. ciu. prae-supponimus. Negotium alienum vel sufficenter determinatum esse potest vel minus. *Vnde quoque mandatum in qualifica-tum seu determinatum et simplex seu vulgare diuidi potest.*

§. XXXVIII.

Mandatarius alterius, nimirum mandantis, negotia gratis administrat (§. praec.). Is, qui negotia alterius ad-ministrat, alterum virium suarum in isto negotio partici-pem reddit (§. 29. L. 1. tit. 5. Elem. Iur. ciu.). Mandata-rius igitur mandantem virium suarum in negotio mandan-ti proprio gratis participem reddit. Sed is, qui alterum in fine quodam obtinendo virium suarum participem red-dit, alteri auxilio est (§. 43. Praecog. Elem. Iur. ciu.), et inde vnam cum altero repreäsentat personam (§. 44. l. c.). Quare mandatarius, intuitu negotii suscepit, vnam cum man-dante repreäsentat personam, et hinc inter hos eo magis nexum amicitiae §. 25. conuenienter concipi⁹, cum haec admini-stratio gratis fiat, quae gratuita administratio facilius ami-citiae congruit. L. 1. §. vlt. ff. mand.

§. XXXIX.

Mandans ex mandato omnem ordinarie percipit uti-litatem (§. 37.). Quare mandans ad damna culpa etiam le-uissima data mandataria reparanda obligatur (§. 11. Diff. II.). Casus occurrit in L. 61. §. 5. ff. de furt.

§. XL.

Ei pacientium, qui ad culpam leuissimam praestan-dam obligatus est, detrimentum, alteri etiam casu mixto subnatum, ad reparationem damni dati imputatur ; nisi iste probet, detrimentum mero casu esse subnatum (§. 9.

D

Coroll.

Coroll. I. et II. Diff. IV.). Quare mandanti malum, quod mandatarius casu mixto in negotio administrando sensit, ad reparationem danni dati imputatur, nisi mandans probet, aut aliunde manifesto confiteretur, malum mero casu, h.e. circa omnem mandantis culpam, esse subnatum. L. 26. §. 7. ff. mand.

COROLL. I.

Quoniam autem mandatarius in mandato qualificato quoque ad leuissimam culpam praestandum obligatus est, vii mox ex sequentibus apparet: singulare est in mandato qualificato, quod et mandatarius simus probare debeat, malum, quod in negotio peragendo sentit, circa omnem suam culpam sibi esse ex negotio subnatum. Si itaque mandatarius hoc probare nequit, malum sua culpa praesumire sentit; quod damnum non est a mandante reparandum.

COROLL. II.

Contraria fere ratione res habet in mandato vulgari, in quo mandatarius non nisi latram culpam praefat. In hoc probatio culpe mandatarii etiam mandanti incumbit, si fere mandans a reparatione damni liberare vult.

§. XLI.

Ratio, propter quam mandans ex mandato obligatur ad leuissimam culpam mandatario praestandam, est illa gratis a mandatario suscepta negotii alieni administratio, ideoque officium humanitatis infigne mandatarii mandanti exhibutum, quod ex mandato demum in officium necessitatis degenerat (§. 38.): consentit cum nostro asserto L. 61. §. 5. ff. de furtis. Ponas itaque mandatarium, antequam mandatum suscepit, aliunde iamiam perfecte obligatum esse, ideoque cogi posse, ad negotii alterius administrationem, tunc ratio, propter quam mandans obligatur ad culpam leuissimam in mandatario praestandam, cessat. Verum cessante ratione legis, cessat etiam ipsa legis dispositio (§. 149. Elem. Jur. Nat.). Mandans itaque tum demum ad culpam leuissimam mandatario praestandam obligatus non est, si iam ante mandatum susceptum mandatarius perfecte obligatus sit, cogique possit ad negotia mandantis administranda. Quid quod cum contrahens, secundum naturam contractuum

com-

communem, tum demum ad leuem culpam obligetur, si alter cum altero aequali ex contractu percipiat utilitatem, ideoque alteri aequalia officia humanitatis exhibeat: afferendum esse arbitror, mandatorem non nisi ad dolum et culpam latam mandatario praestandam obligatum esse, si iam ante mandatum suscepimus mandatarius aliunde obligatus sit, ideoque cogi possit ad negotia mandantis administranda. Conf. LAVTERBACHII Comp. Pand. Lib. XVII. tit. i. Mandati vel contra pag. 289.

SCHOLION.

Huc spectant negotia, quae princeps ministro suo peragenda commisit, conf. Perilliust. a LEYSERI Medit. ad Pand. Spec. 154.

§. XLII.

In contractu, ex cuius natura arcta amicitia inter contrahentes praesumitur, dolus contrahentis non solum ad reparationem damni dati, verum quoque ad poenam infamiae imputatur, notioni infamiae conuenienter (§. 28.). Quare mandatario, qui dolum circa negotium suscepimus committit, iste dolus et ad reparationem damni et ad poenam infamiae imputatur (§. 38.). L. i. L. 6. §. 5. ff. de his, qui not. infam. L. 21. C. mandati.

COROLL.

Huc spectat casus, quo mandatarius pecuniam fidei suaee commis-
sam in proprios usus conuerit.

§. XLIII.

In mandato qualificato siue determinato mandatarius in gratuitam administrationem negotii alieni a mandante determinati consensit (§. 37.). Negotium determinatum effectui dandum requirit usum omnium virium, quibus negotium determinatum hoc, et non aliud, existentiae redditur (§. 79. Diff. I.). Mandatarius ergo in mandato qualificato ordinarie in usum omnium virium negotio determinato sufficientium consensit. Usus omnium virium, negotio seu officio determinato sufficientium, dici meretur summus circa illud negotium adhibitus diligentiae gradus (§. 114.

D 2

Diff.

Diss. I.). Vnde colligitur, quod *mandatorius in mandato qualificato seu determinato* in summum diligentiae gradum, circa administrationem negotii determinati, ordinarie consenserit, et inde *quod ad summum diligentiae gradum obligatus sit* (§. 15. Diss. II.). L. 21. L. 11. L. 13. C. Mandati.

§. XLIV.

In mandato qualificato seu determinato, ex differentia specifica, nimirum ex negotii determinatione, ope principiorum generalium, mandatario attribuimus obligacionem ad maximam diligentiam (§. praece.). Quum igitur in mandato simplici seu vulgari (in quo negotium alienum non satis determinatum occurrit) differentia illa specifica, quae mandatum determinatum efficit, deficiat (§. 37.): *mandatario adhuc in mandato simplici obligationem ad maximam diligentiam adstruere non licebit.* Quodsi vero ex differentia specifica alicuius contractus alias consensus ab illo, qui ex natura contractuum communi elicetur, diuersus in certum diligentiae gradum non adeat: tunc contrahens ad eum diligent ae gradum, qui quantitat i utilitatis suae paclitiae proportionalis est, et inde ad minimum alteri exhibendum obligatur, si ipse vel nullam vel minimam ex contractu percipiat utilitatem (§. 27. 28. Diss. II.). *Mandatorius igitur in mandato vulgari seu simplici ad minimum diligentiam mandanti exhibendam adhuc obligatur.* L. 10. pr. L. 29. pr. §. 4. ff. Mand. conf. B. COCCII Coll. 1. §. 12. eiusdem Diss. II. Interim tamen, si mandatarius in hoc mandato, speciali promissione in maiorem diligentiam consenserit, tunc §. 32. 31. et 15. Diss. II. conuenienter ex ista promissione specialia ad maiorem diligentiae gradum obligatur, saluis principiis §. 27. 28. Diss. II. stabilitis.

SCHOLION I.

Dubium, quod, occasione §. praece., contra propositionem specialeorem in Diss. II. §. 27. 28. occurrentem, de praestatione culpae circa contractus, formari possit, eodem, vti in Scholio §. 29. fecimus, modo remoueri potest.

SCHO-



SCHOLION II.

Ex ipsis demonstrationibus simul dubium, quod B. THOMAS tanquam ineluctabile §. 42. et 43. Dissert. de doctr. diffic. iur. Rom. de culpar, praefat. in contract. format, facili negotio soluitur. Evidem afferit primo loco, quod cum in deposito ideo depositarius culpam tantum latam praefet, quoniam nullam vilitatem ex contractu percipiat, cur non aequae *omnis* mandatarius tantum ad culpam latam circa negotium alienum praestandam, sed ad leuisinagi in mandato ordinario seu qualificato obligatus sit; cum tamen mandatarius ex contractu eodem modo, vt depositarius, nullam percipiat vilitatem. Verum enim vero, quamquam custodia, quam in deposito depositarius rei alienae sibi traditas praefat, sub negotio alieno, tanquam species sub genere, contineatur; tamen ordinarie in deposito custodia a mandante omnimode determinata non est, potius vero mandans depositario relinquit, quomodo velit rem depositam custodire, ne res detrimuntur capiat: unde ordinarie custodia, quam depositarius suscipit, est negotium a mandante nondum sufficienter determinatum. Cum igitur leges Romanæ §. praecl. allegatae eriam in mandato vulgari seu simplici, quo negotium alienum non sufficienter determinatum occurrit, minimam tantum diligentiam a mandatario exigent (§. cit.): *ICti Romani principia sua de praefatione culpae in contractibus generalia in mandato nondum defuerunt.* Quod autem in mandato qualificato et determinato non minima, vt in deposito, sed maxima diligentia a mandatario exigatur, illud nec principiis generalibus de praefatione culpae circa contractus, vii iamiam in scholio praecedenti annotauimus, contradicit; quia nimis ex differentia specifica mandati ordinarii seu qualificati consensus verum in maximam diligentiam determinauimus.

§. XLV.

Si mandatarius, etiam in mandato vulgari sive simplici, rem, quam pro altero emendam suscipit, tertium emere patitur in gratiam tertii; tum mandatarius vel saltem indeliberate nullis prorsus vtitur viribus explendo officio mandatarii sufficientibus, isque non-vsus virium indeliberatus vix a proposito, mandantem in gratiam tertii laedendi, h.e. a dolo separari potest. Cum autem is, qui,

D 3

licet

Icet indeliberate nullis prorsus vtatur viribus explendo officio sufficientibus, latam culpam committat (§. 114. Diff. I. et 21. Diff. II.): *Mandatorius, etiam in mandato vulgaris, si rem, quam pro alio emendam suscipit, tertium emere passus fuit in gratiam tertii, culpam latam committit, et inde malum, quod mandanti suboritur, mandatario ad reparationem imputatur* (§. 43.). L. 8. §. ult. ff. mand.

§. XLVI.

In mandato qualificato termini mandati sunt determinati (§. 37.). Mandatarius itaque, in mandato qualificato terminos mandati excedens, vel dolum, si animo deliberato, vel saltē leuissimam culpam committit, si animo indeliberato terminos mandati transgreditur (§. 57. Elem. Iur. Natur.). Iam quum mandatario in mandato qualificato, dolus et culpa quaecunque etiam leuissima ad reparationem damni mandanti dati imputetur (§. 42.): *Mandatario, in mandato qualificato terminos mandati excedenti, factum suum illicitum ad reparationem damni mandanti dari imputatur.* Perillustr. WERNERI Obseru. 147. et 197.

Part. III.

COROLL. I.

Mandatarius, qui debitori mandantis sui, a' quo debitum exigere debebat, longius spatium indulget, terminos mandati transgreditur, et inde mandanti ad reparationem damni dati obligatur. conf. Perill. LEYSERI Medit. ad Pand. Spec. 154.

COROLL. II.

Si mandatarius ante terminum solutionis mandato determinatum e. g. noch vor der Zahlungs-Woche, tertio soluerit, terminos mandati transgreditur, et consequenter dolum vel culpam committit (§. praec.). Ponas tertium istum mutuum pecuniam accipientem post solutionem ante terminum solutionis foro cedere, tunc mandans ex hoc neglegit solutionis termino datanum culpa vel dolo mandatarii datum sentit (§. 123. Diff. I.), ideoque mandatarius mandanti tenetur ad reparationem damni, si ante terminum solutioni definitum tertio soluerit, qui ante solutionis terminum ordinarium foro cedere coactus fuit.

*fuit. Conf. SCHILTERI Exerc. 28. th. 83. Addatur BERGERI
Osc. Iur. Lib. III. Tit. 5. §. 37. n. 1.*

COROLL. HI.

*Mandatarius debitum nomine mandantis a debitorum recipiens,
qui ipsi mandatario aliunde obligatus est, debitumque exactum pro
suo credito sibi arrogans, terminos mandati dolo aut saltim latra cul-
pa transgrediuntur, et inde mandanti ad reparationem damni etiam
mora dati tenetur. conf. BERGER I. C.*

§. XLVII.

Prœcurator iudicialis, qui fatale oblationis sui principali ad iurandum neglexit, licet ipsi principali citationes insinuatae sint, tamen culpam vel saltim leuissimam committit, id quod ex idea prœcuratori iudicialis colligi potest. Quia e principali ad damnum inde subnatum reparandum obligatur (§. 42.). Ponas istud damnum propter mala futura principali metuenda determinari non posse, ideoque incertae esse aestimationis; tunc reparatio danni a prœcuratore exigenda fieri nequit: damnum enim inassimilabile reparari non potest (per Pr. Iur. Nat.). Hinc principalis, si a iuramenti præstatione propter fatale culpa prœcuratori neglectum repellereletur, damnum feciat, non quidem sua, attamen prœcuratori culpa, minus separabile. Verum ei, qui ex negotio iure stricto valido citra suam culpam sibi imputabilem a tertio laesus, prætor dat restitucionem in integrum (§. 14. tit. 3. lib. 4. Elem. Iur. ciu.). Principalis ergo contra fatale oblationis principalis ad iurandum a prœcuratore neglectum, cum prima, si lis est de re incertae aestimationis, in integrum restituatur. conf. Per illustr. a WERNER. obseru. 3. Part. 1. A prœcuratore tamen distinguimus aduocatum, qui simus prœcurator iudicialis non est.

§. XLVIII.

Mandatarius fines mandati transgrediens desinit unam eum mandante repraesentare personam (§. 38.). Verum, quatenus mandatarius unam cum mandante repraesentat perso-

personam, eatenus ex pacto, quo tertio nomine mandantis aliquid promittit, suum mandantem tertio perfecte obligat (§. 90. Praec. ad El. Iur. ciu.). Mandans itaque per mandatarium, fines mandati praescriptos excedentem, tertio haud obligatur. Perillustr. a WERNER Obsl. 197. Part. III.

COROLL.

Hinc mandans ultra summam in mandato determinatam tertio, cum quo mandatarius contraxit, non tenetur; mandatarius autem, qui ultra summam mandato determinatam excessit, tertio obligatur. Cit. obseru. 147. Parte III.

§. XLIX.

Quam primum mandans mandatum suum reuocat, mandatarius vnam cum mandante repreäsentare desinit personam (§. praec.), ideoque mandans ex negotio a mandatario gesto post mandati reuocationem iure stricto non obligatur (§. cit.). Verum hoc modo tertius, qui cum mandatario contraxit, ob mandatum praeuum, cuius reuocationem scire non potuit, malum sentiret citra suam culpam, cuius existentiae ratio continetur in mandato praeuo et in illa culpa mandantis, qui mentionem mandati reuocati tertio facere omisit, qua patrimonium tertii diminutum est. Verum malum, nobis citra nostram culpam subortum, cuius existentiae ratio continetur in alterius actione culposa, qua tò nostrum violatum seu patrimonium diminutum, efficit damnum culposum ab altero reparandum (§. 128. Diff. I.). Mandans itaque post reuocationem mandati adhuc obligatur ad reparationem damni, quod tertius sentit, qui ob reuocationem mandati, sibi a mandante haud significatam, cum mandatario adhuc contraxit. arg. L. 61. §. 5. ff. de furt. arg. L. 17. ff. de officio Praesid. Conf. Perillust. Dom. a LEYSER Medit. ad ff. IV. spec. 180.

SCHOLION I.

Liceat nobis nostrum ex L. 61. §. 5. ff. de furtis formatum argumentum adhuc euincere. Afferit AFRICANVS in hac lege: IVSTISSIME PROCVRATOREM ALLEGARE, NON FVISSE
SE

SE ID DAMNVUM, de quo §. 39. 41. egimus, PASSVRVM, SI ID MANDATVM NON SVSCEPISSET. Quodsi itaque in locum procuratoris, qui in legē exp̄ssus est, substituas tertium, qui post revocationem mandati sibi haud significatam cum mandatario contraxit, facile nostram persp̄cies argumentationem in lege citata esse fundatam.

SCHOLION II.

Dicis, nostro asserto obstare ex iure canonico cap. 9. de procuratoribus in sexto. In quo exp̄ssè affteritur: *matrimonium esse nullius momenti, si procurator, antequam contraxerit, a domino fuerit reuocatus, liceat tum ipse una cum ea, cum qua contraxerit, revocationem huiusmodi penitus ignoraret.* Verum cum nos nondum ass̄eruerimus, mandantem ex facto mandatarii reuocati, ideoque ex negotio valido, sed ex culpa sua, tantum teneri ad reparationem damni, quod tertius sentit, qui cum mandatario circa notitiam tertii reuocato contraxit; sponsalia, ab huiusmodi procuratore reuocato contrafacta, etiam nostris principiis conuenienter nullius sunt momenti. Interea tamen non dubito, quin mandans quoque personae tertiae, quamcum huiusmodi procurator sponsalia celebravit, obligetur ad reparationem damni, si tale aliquod persona tertia assignare queat, quale in §. praec. tertius assignare potest, qui cum mandatario post revocationem sibi a mandante haud significatam contraxit.

§. L.

Casualis rei pāctitiae interitus maximam quoque diligentiam transgreditur (§. 35. Diff. III.), et quum merus casualis rei pāctitiae interitus obligationem pāctitiam ad promissum effectui dandum tollat (§. 36. Diff. II.). *Inde, liceat in mandato ordinario seu qualificato mandatarius maximam diligentiam exhibere obligetur (§. 43.), tamen casualem rei pāctitiae interitum praefare non obligatur. L. 13. ff. mand.*

COROLL.

Is contrahentium, qui speciali conventione periculum rei pāctitiae in se suscepit, ad illud praefandum alteri obligatur (§. 36. Diff. II.). *Mandatarius igitur, qui periculum rei sibi demandatae conventione speciali*

E



34 DE IMPVTATIONE CVLPAE CIRCA MANDAT.

speciali in se suscepit, ad istud mandanti praestandum perfecte obligatur. Attamen in hoc casu, quo mandatarius periculum in se suscepit, casus insolitissimi ab ordinariis adhuc distinguendi sunt secundum ea, quae in scholio §. 35. Diff. IV. explicata fuerunt.

VIRO IVVENI
NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE
AVTORI DISSERTATIONIS
PRAESTANTISSIMO,
AMICO SINGVLARITER COLENDO
S. D. P.

P R A E S E S .

TE, Vir Iuuenis Nobilissime, frui quo diutius mihi licet, eo plus indies meo adcrescit de TE bene merendi studio. Momentum, quod mihi primam TVI copiam fecit, illud ipsum quoque est, ex quo magni TE facere coepi; tantum quippe in animos pulchritudine morum atque elegantia vales. Magnis itaque mihi in deliciis fuit, cum nomen TVVM nostrae dederis societati elaboratoriae-disputatoriae. Hic enim mira animi praesentia et ingenium alacre et facundia suavis, et egregius eruditiois TVAE adparatus, in TE conspiciebantur. Ast ne sic quidem satis iam progressa TVA potentia, sed noua laudis TVAE, eaque insigniora paras monumenta. Optime quidem. Nam vt publice constat,

quem



quam firmo fundamento spes mea et PARENTIS TVI
honoratissimi, Patroni mei pie semper colendi, de TE con-
cepta nitatur, nouum mihi TVAE industriae TVAF que
doctrinae in iurisprudentia egregie efflorescentis speci-
men exhibuisti, simulque etiam atque etiam a me petiisti, vt
in confliktu supra istud cum aliis ineundo publico tibi adsi-
sterem. TVA itaque industria pariter ac amicitia PAREN-
TIS TVI, Viri de re ciuitatis optime meriti, ductus non po-
tui non summa cum laetitia TVIS subscribere desideriis.
Gratulor TIBI specimen ingenii non minus, quam scien-
tiae iuris pereximiae, et quaevis prospera ex animo ad-
precor. Pergas quaeso in eo, quo coepisti solidae iuris co-
gnitionis tramite, vt filius TANTO PATRI aliquando euadas
simillimus. Me vero vt in posterum, sicuti coepisti, ami-
cacia TVA complectaris, perobseruanter abs TE peto.

Vale. Scrib. lenae d. 9. Februarii an.

M DCC XLI.

E T I Z E M B A D E N

In studiis sic perge, DEO vt sis semper amandus,
Et PATRIAE, et MVSIS OMNIBUS, atque TVIS.

gratulationis et paternae admonitionis causa
filio vnico AMANDO scrib.

FRIEDERICVS AMANDVS
TRAVTMANN. I. V. D.
OPPONENS.

57

Ergo etiam ostendis docto conamine nobis,
TRAVIMANNE, ingenii munera rara TVI 2
Sic decet, eximio dum quae dignissima ciue
Praefas, et vires, dulcis Amice, probas.
Hinc tot laetandi causae, tot vota parantur;
Et fremitu laeto pulpita docta sonant.
Mnde igitur feruore animi, solertereque cura,
Non deerit studiis Patria amica TVIS.
Nam quibus in terris aequum laudatur, et ardet,
Ars etiam et virtus praemia digna parant.

Gratulabundus atque cum voto omnigenae
prosperitatis adiecit
PAVL. WILH. SCHMIDIUS. I. V. D.
OPPONENTS.

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE
DOMINO RESPONDENTI
FAVTORI ET AMICO SVO AESTVMATISSIMO
S. D. P.
F. L. B. DE REINBABEN.
OPPONENTS.

Musa tibi templi iam limina pandit honoris,
Ac circumcingit frondens tua tempora laurus;
Hoc initiatur facta fortuna futura,
Passibus ambiguis erret quae tempore nullo,
In summa: nunquam perturbent tristia grata,
Donec in excelsi penetrabis limen Olympi.

HERIB. (o) GÖTT. MANDAS

X2368854


VD18

ULB Halle
007 465 084

3







1741,7 b 8
7-8
30

TIONE QVINTA
ONEM CVLPAE
 CIRCA
S EMPHYTEVESEOS,
IS ET MANDATI

FAVENTE,
 GNIFICENTISSIMO
 PRINCIPE AC DOMINO
 MINO
MO HENRICO
 AC CLIVIAE MONTIVM ANGA-
 LANDGRAVIO THVRINGIAE MAR-
 E PRINCIPALIS DIGNITATIS HEN-
 HARCAE RAVENSBERGAE SAYNAE
 TGENSTEINII DYNASTAE
 TEINII RELIQUA
 LONGE CLEMENTISSIMO

CONSENSV
 ICTORVM ORDINIS
 E S I D E
SCHIERSCHMIDIO
 ET PHILOS. DOCT.
 IMINIS SAXO-ISENACENSIS ADVOCATO
 ATRONO SVO PIE COLEND
 ORVM EXAMINI SVBIICIT
 ENS ET AVTOR
AMAND. TRAVTMANNVS,
 ET PHILOSOPH. CVLT.

FEBRVARII M DCC XL.
 IO. CHRISTOPH. CROEKERI.